5.

D. O. M. A.

Discursus
De
JURE PRINCIPUM ET STATUUM IMPERII

Cum aliis quibusdam Quæstionibus,

Quem

Permissu & auctoritate Nobilissimi JCtorum Ordinis in florentissima SALANA


PRÆSIDE

GEORGIO FRANTZKIO
SIL. J. U. CANDIDATO

Nobilissimis & Præstantissimis suis Collegis Collegii Institutionum ventilandum proponit

ANDREAS KÖRNERUS
Coburg. Francus.

Kal. Octobri 6.



JENÆ
Typis STEINMANNIANIS.

Anno M. DC. XXI.



VIRIS

Prudentissimis & longo rerum usu & experientiâ Præstantissimis

DN. ANDREÆ KÖRNER

REIPUBL. COBURGENSIS

Consuli meritissimo,

DN. TOBIÆ AMLING,

REIPUBL. SCHWINFURTENS.

Senatori dignissimo,

Illi Parenti, huic Avunculo meo dilectissimo, colendissimo

Exercitium hocce Academicum


debitæ gratitudinis ergò

offero

&

consecro

Andreas Kôrner
Respondens.



De jure Principum & ſtatuum Imperii diſcurſus.

MAGISTRATUS olim Romanorum ſub libera Republ. vel ambulatorios fuiſſe vel ſub Principum imperio perpetuos quidem, ſed ad nutum Impp. ut ſic dicam, removibiles in propatulo: nomenq; hoc non niſi officii fuiſſe ſtatus, tùm temporis Reipubl. indicio eſt. †. Exactis enim Regibus præcipua fuit Conſularis poteſtas, quę ad exemplum Regiæ dominationis lege latá inducta eſt *l. 2. §. exactis 16. de O. J.* †. Quæ ipſa ne inviſum nomen Regis reſtauraretur temporaria facta, aut imago veteris Monarchiæ ſupereſſet, duobus adminiſtranda conceſſa fuit. †. Translatâ verò dein in Principem ſupremâ poteſtate, Magiſtratus nil proprii ſalvâ Majeſtate Principis potuit habere, multò minùs in hęredes transmittere. †. Ut proindè perperam illi ſemper mihi feciſſe viſi ſunt, qui noſtros Principes, Duçes & Comites

1.
2.
3.
4.
5.

Magiſtratibus veteribus vel ſurrogare vel cũ
6. iiſdem comparare ſaltem auſi fuerunt. †. Etſi enim Pręfecti Prętorio auctoritas poſt Principem ſumma & in tantum aucta, ut appellari ab illo non potuerit, nec adverſus illum peti reſtitutio in integrum niſi ab ipſo *l. un. de off. Præf. Præt. l. 18. de minor. Feneſtell. de Magiſtr. Rom. cap. 22. pag. m. 76. & ſeq.* poteſtas tamen hæc ſolùm fuit officii & adminiſtrationis *l. 1. §. 5. ibi adminiſtrationes C. de off. Præf. Præt. Afr. t. t. C. de off. Præf. Præt.* imò ubi imperium declinare cœpit, nomen etiam mutatum & qui anteà Præfectus Prætorio pòſt magiſter ſtabuli cum imminutá poteſtate appellatus eſt *Pomponius Lætus de Magiſtr. Rom. cap. 8. p. m. 92.*
7. †. Alia ratio eſt modernorum Imperii Principum & ſtatuum, qui veri ſunt Domini terrarum & in ſuis territoriis ſupremum jus, idq; perpetuum & transmiſsibile vulgò die Landsfürſtliche Obrigkeit / Sonderbahre Hochheit und Oberbottmäſſigkeit / & proportione quadam regalia & jura Majeſtatis exercent.
8. †. Et quidem hæc omnia expediunt, non jure officii, aut adminiſtrationis, ſed proprio
9. Marte & ſpecie cujuſdam αὐτοκρατορίας. †. Fuit quidem & Magiſtratibus Romanis jurisdictio jure proprio conceſſa. Undè reſcriptum
eſt

est *in l. 5. de jurisd.* More majorum ita comprobatum esse, ut is demum jurisdictionem mandare posit, qui eam suo jure non alieno beneficio haberet. †. Verùm hoc ita dice- 10.
batur fieri vel ad differentiam delegatorum, qui nihil proprii habent *l.1.§.1.& ibi Purpurat. n. 2. de off. ejus cui mand. est jurisd.* vel potius suo jure is habere jurisdictionem existimabatur, cui hæc eo ipso, quo Magistratus est creatus, concederetur. Hinc jure proprio & jure Magistratus competere æquiparantur & unum idemq; esse reputantur *d.l.1. in pr. v. quæ verò jure Magistratus de off. ejus. juncta l. 5. de jurisd.* & generaliter quæ jure Magistratus aut proprio jure competunt, mandari possunt *d. l. 1.* †. Principibus verò imperii longè 11.
pleniori jure jurisdictio asseritur jure sc. territorii, cui, ut alia sic & illa ipsa quasi est annexa. Undè & concesso territorio universaliter successoriâ lege in perpetuum transit ad commodum & utilitatem propriam. *Johan. Anton. Lanar. consil 5. n. 4. Knicb. in tr. de jure territ. cap. 1. n. 388.* †. Hinc infertur I: ve- 12.
ram esse communem Dd. sententiam, Duces, Marchiones, Comites &c. immediatos in suo Ducatu, Marchionatu &c. tantùm posse quoad subditos quantum Imperatorem in

toto Imperio *Bald. in l. receptitia C. de constit. pec. Paul. de Castr. cons. 83. incipiente super primo dubio in part. 2. Alexand. cons. 1. n. 29. in vol. 5.* & alii, quos refert *Borchold. in tr. de feud. cap. 5. n. 37. & in cap. un. quæ sunt regalia n. 7. & seq. & quos prolixâ serie allegat Bachov. ad vol. 1. Tr. disp. 23. th. 1. lit. C.*
13. †. Quô referunt quidam, quod Principes & alii superiores immediatè Gratiæ DEI suam dignitatem acceptam ferunt: non minus quàm summus Princeps, quod tamen in Gallia neminem absq; crimine læsæ Majestatis scribere audere testatur ex Monsieur de Serrez. *lib 1. invent.* Auct. *de jure principatus th. 88. lit. B.*
14. †. Undè jura provincialia vel constitutiones promulgare & contrarias abrogare rursumque novas constituere ipsis integrum *Paul. de Castr. d. l. VVesenb. cons. 1. n. 39. part. 1.* quas etiam imperialis Camera in judicando attendere tenetur *part. 1. Ordin. Cam. tit. 57. Knich. de jure terr. d. c. 1. n. 398.* quod & ad liberas Imperii civitates extendit *Andr. Gail. in tr. de arest. Imp. cap. 9. n. 1.* Hinc famæ & in integrum restituunt R. A. zu Speyer *de Anno 1526.* §. vnd wiewol der gemeine Mann *ibi.* so soll eine jede Obrigkeit ꝛc. jus indulgendi delicta habent R. A. zu Speyer *de Anno 1526.* §. es soll sich auch *ibi.* die zu jeder

Obrig-

Obrigkeit Bedencken und Macht stehen / modò non refragetur divini juris auctoritas.
†. IIdem concessum est ex antiquissimo li- 15.
bertatis prætenso & novissimo imperii jure, ut possint cogere militem in propriam & aliorum salutem R. A. *de Anno 1526.* §. Darauff *WWarem. ab Erenberg. lib. 1. de fœderib. c. 2. n. 56.* & consequenter pacis & securitatis causa fœdera inter se ferire. *Aur. Bull. Carol. IV. tit. 15. Ord. Camer. part. 2. t. 8.* §. So jemand.
†. Crimen quoque læsæ Majestatis in illos 16.
committi Julius Clarus testatur *lib. 5. sententiar. §. læsæ Majestatis n. 3.* vide plura in hanc rem apud Reinckinck. *lib. 1. de Regim. secul. & Eccles. cl. 5. cap. 6. n. 20.* non obstantibus iis, quæ contra communem hanc sententiam in seqq. videtur opponere. †. Quo ipso tan- 17.
tùm abest, ut splendor & dignitas Imperatoris exhauriatur, ut magis illustrior inde reddatur, quandoquidem tantò major & potentior quisque habetur, quantò melioribus & illustrioribus præest, *ut ait Justin. in Novell. 15. in fin. pr.* eòque nobilior existimatur, qui sublimius habet subjectum Aristotel. *1. Polit. 5. & 8.* †. Recognoscunt enim & Prin- 18.
cipes feudi lege ab Imperatore sublime hoc jus territorii, quantum scilicet attinet universa-

verſale dominium totius Ducatus, Principatus &c. etſi jurisdictionem univerſalem & particularem in ſubditos eam exerceant jure territorii promoveantque *Cacberan. conſil.*
19. *9. n. 2.* †. Undè in hujuſmodi actibus jurisdictionalibus ipſi Imperatori præferuntur, quatenus nemo Principibus ſubjectus, immediatè recurrere poſsit ad Imperatorem, niſi cauſa ſit ardua, intolerabilis præjudicii & notoria omnis injuſtitiæ ex Decian. *Reſp. 56.*
20. *n. 4. Knicb. d. c. 1. n. 405.* †. II. Ex prædictis infertur, ſtatuta Principum Germaniæ malè cum jure Prætorio propriè ſic dicto comparare & actionem indè in factum deſcendentem concedere *Panormitan. in cap. ult. extr. de off. legat. Treutl. diſp. 23. vol. 1. th. 1. lit. 1.* & illam, uti alias Prætorias anno finiri, Sichard. *ad Rubr. C. qui admitt. ad bon. poſſeſsion. poß. n. 15.* cùm propter dictas rationes magis legibus accenſenda eſſe & ex iis condictionem ex lege oriri certum evadat Bachov. *add. diſp. 23. th. 1. l. c.* †. Undè III. elici videtur, Prin-
21. cipibus merum imperium, ſeu gladii poteſtatem hodiè jure Magiſtratus non compete-
22. re & ab iiſdem exerceri. †. Siquidem illud aliis exercendum committunt, quos potiori jure illis ipſis, qui precariò hoc olim à
popu-

populo vel Principe obtinebant, aſsimilaveris, quàm ipſos Imperii Principes. †. Con- 23.
ceſsione tamen illâ à Principibus factâ non niſi ſpeciali merum imperium & hodiè tranſire veriùs eſt *arg. d.l.1. de off. ejus.* non attento quod ſub nomine Magiſtratus ſoleat plærumque concedi †. Nec enim olim ideò 24.
jure Magiſtratus competebat, quod Princeps eo ipſo, quo aliquem v. c. Provinciæ Præſidem creabat, ſimul concederet poteſtatem gladii & criminum exſecutionem, quod contra Cujac. *in l. 131. de V.S. & ad Papin. in l. 1. de off. ejus &c.* cum Bachovio *ad vol. 1. Tr. diſp. 3. th. 6. lit. E.* veriſsimum exiſtimo vel ex hac ratione, quod ineptum foret vel Papinianum in ſæpè dicta *l. 1. de off. ejus.* diſſertiſsimis verbis merum imperium iis, quæ juri Magiſtratus competunt, opponere, vel Ulpianum *in lib. 6. de off. proconſ.* negare à Proconſule merum imperium legato mandari poſſe, quorum tamen tempore, imò longè ante ipſos, qui Præfecti Prætorio, Proconſules, Præſides creabantur, hoc ipſo merum imperium accipiebant *Bachov. d.l.* †. Idem 25.
de modernis Magiſtratibus aſſerere nihil vetat: quippe cùm nihil interſit, an lex ſingulis Magiſtratibus, qui creantur, merum im-

perium nominatim tribuat, an verò omnibus illis, qui hoc vel illo Magistratu donabuntur, ab initio adjungat; ubi nihilominus dici potest, quòd videatur repetita ab initio lex de Imperio hujus vel illius Magistratus lata.

26. †. Quin imò necesse est illis lege vel constitutione tribui imperium, quoniam penes eum residet, penes quem Reipubl. summa est; Nam si ita jure suo Magistratus haberet, partem aliquam supremi imperii haberet *v. Vincent. Cabotium lib. 2. disputationum c. 7.* Quod uti Principibus libenter asserimus, ita Magistratibus ab ipsis constitutis perseveranter negamus.

27. †. Et tantùm pro temporis angustia de jure Principum Imperii per discursum annotare visum est.

Consectaria.

I.

Quia in mentionem meri Imperii incidimus, placet subjungere ἐν παρόδῳ quæstionem olim inter Lotharium & Azonem agitatam: Utrum Populus vel Princeps transferendo in aliquem merum Imperium proprietatem ejus, an verò saltem usum vel exercitium concedat? Quorum ille exercitium; hic

hic insuper & proprietatem transiisse enixè voluit, uterq; sponsione factâ & equo deposito Henrici II. Imp. filium sequestrem adivit, finalemq; hujus controversiæ determinationem eidem permisit. Ex cujus sententia justè Lotharium non tantùm eqvum tulisse, sed & æqvum dixisse, adeòque communem Dd. Scholam iniquè ab arbitramento hoc subtrito Proverbio: *Lotharius dixit iniqvum & obtinuit eqvum. At Azo dixit æqvum, sed perdidit eqvum*, posteà recessisse contra Obrechtum *lib. 2. de jurisd. cap. 2. n. 18. Duar. ad l. 3. de jurisd. Bocer. c. 8. de jurisd. n. 4. & 5.* defendemus cum Alciato *2. Paradox. 6. Matth. Steph. lib. 1. de jurisd. c. 11. n. 23. & CL. Hilligero in Don. enucl. lib. 17. c. 8. lit. NN per l. 1. ibi delegatam. de off. ejus arg. l. 2. ad L. Jul. pecul. juncta l. 4. §. 4. eod. t.* præsertim cum jure proprio & jure Magistratus quid habere heîc non differant, ceu suprà fuit probatum *n. 10.* & aliàs tralatitium est. Undè merum imperium & mandari & sine speciali concessione communicatâ jurisdictione in alios transferri posse contra propria principia ipsorum consequens futurum esset. Et aliàs tritum est, jus animadvertendi in facinorosos inter jura supremæ potestatis connumerari, quæ rarò aliis concedi multò minùs

concessa propria effici solét. Imò extitêre quędam nationes, quæ non hominum, sęd Deorum merum imperium existimârunt, ut apud veteres Germanos scribit Tacitus *in lib. de morib. German.* neque animadvertere, neq; vincire neque verberare licuisse, nisi Sacerdotum permissu, non quasi in pœnam, nec Regum, nec Ducum jussu, sed velut Deo imperante, quem adesse bellantibus credebant, id fiat Vincent. Cabot *d. lib. 2. disp. cap. 5. pag. m. 203.* sanè hodierno statu cùm merum imperium unà in feudum dari soleat, hereditarium id & gentilitium effectum Scipio Gentil. *l. 3. de jurisd. cap. 23. Hilliger. d. lib. 17. cap 8. lit. Nn.*

II.

Merum imperium undè dicatur, variis modis inquirunt Dd. quorum mentem optimè videbis enucleatam apud solertissimum Hilliger. *d. l. 17. cap. 8. lit. Vu.* Verior mihi videtur vocabuli originatio, quam idem Hillig. ib. adfert, Merum esse, cui nihil extrinsecùs adveniens adjunctum, quodque suâ solùm relictum est simplici naturâ, non quod ut communiter sentiunt, jurisdictioni civilium causarum non est conjunctum, qnandoquidem ut doctè ib. Hillig. vel mixtum

tum imperium ideò merum dicendum, quia à jurisdictione criminalium causarum planè sejunctum. Nec merum vinum illud rectè appellabitur, cùi saltem aqua non admista, sed nec ullus alius liquor. Hinc infero, merum imperium sub jurisdictione tanquam genere non comprehendi & à judicatione criminali planè diversum esse, quod hæc circa scelerum cognitionem, illud circa eorum pœnas versetur Obrecht.*in tr. de jurisd. prior. cap.7. n.1.* utrumque autem speciali concessione non jure Magistratus competere. Idem *disp.7. th.114.* adde nervosè eundem Obrecht. *in tr. de jurisd. novissimo & completo lib.1. c.3. & seqq. Hilliger. d.lib.17.cap.8.lit. Vu. p.85. & 86.* Dissentit ex professo ab Obrechto Bocer. *lib.1. de jurisd.cap. 2. (quem prolixè refutat Obrecht. d. c.3.) Bachov. ad vol. 1. Treutl.disput.3.th.3.lit.i.*

III.

Verum dicens, aliquando mentiri potest *v.Keckerm in curs. Philosoph.disp.26.q.10. & in Syst. Ethico lib.1.cap.9.*

IV.

Optima est Aristotelis sententia *viri erga uxo-*

ga uxorem eandem esse rationem quàm Principis erga subditum lib.7.ad Eudem.5. Undè quisq; paterfamiliàs in sua domo Rex & Monarcha. Quod ubi benè tenuerit, florentem domum, liberos educatos, opes abundantes videbit, ubi sociam sibi junxerit uxorem γυναικοκρατούμενος, opes diffluent, liberi dissolutiores evadent, domus tota corruet. Natura voluit potiùs mulierem impotentiùs, ut sobolem fortiùs educaret, maritum judiciosiùs amare, ut dexteriùs & uxori imperitaret & sobolem institueret.

V.

u Undè nec tutum erit Reipubl. summam mulieri imponere, sivè nupserit sivè cœlibem vitam egerit. Illic marito contra naturam imperabit, hic in supremo imperii fastigio posita laxiùs sibi indulgebit. Undè subditi non poterunt diu ferre ardentis atque impotentis feminæ imperium, graviter Bodinus *lib. 6. de Republ. c. 5.* Planè cum Aristotele optimo Philosophorum *1. Politic. 8.* mulierum Principatum non per se, sed præter naturam esse, concludamus, si videlicet supra sexum fœmineum ascendant & in corpore femineo mascula corda gerant.

PA-